



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

V. De custodia Angelorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36126**

stis dicitur. An nescitis quod corda uestra sint Templum Spiritus sancti, ut Ioseph sua castitate omnium bonorum spiritualium incrementa à Deo impetrat.

Propter hanc causam castitas etiam precipuus neruus est authoritatis, quæ eximia uirtute & felicitate in rebus gerendis & beneuolentia animorum in populo constat. Nam fama libidinum animos alienat, ut in uersibus Bacchylidis dicitur.

Vt cum de statua facies formosa reuulsa est,  
Non decus in reliquo corpore truncus habet:  
Sic alij mores spreti sine honore iacebunt,  
Ni sint ornati laude pudicitie.

## V.

De Custodia Angelorum, defendentium, uitam & incolumitatem piorum supra in primo loco capitis Tertij dictum est, & semper in conspectu sit Psalmi 37. testimonium, Castrametabitur Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Item. 91. Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis. Iudæi dicunt, Hos duos Angelos, qui ad Loth diuertunt, fuisse Raphaëlem et Gabriëlem.

Raphael, medicus Dei, à Rapha.

Gabriel, fortitudo Dei, à Gabar.

4 3 Quomo-

Quomodo autem apparuerint Angeli, an adsumptis corporibus elementaribus uel alijs. Item, An comederint, biberint etc. ipse Augustinus lib. 3. de Trinitate fatetur intentionis suae uires excedere.

## VI.

TESTIMONIUM  
de pluritate personarum  
Diuinitatis.

Pluit Iehoua, id est, Filius Dei (qui ut Iohannes dicitur, unà cum Patre omnia operatur) ignem et sulphur à Iehoua, id est, eterno Patre, qui est fons diuinitatis, sine temporis principio suam essentiam Filio, et Spiritui sancto communicans.

Haud dubiè autem ingens ira Dei significatur, cum ipse filius Dei huius horrendae poenae minister est.

## VII.

POENA UXORIS  
LOTH.

Luce 17. inquit Christus, Mementote uxoris Loth. Qui enim querit animam suam seruare, perdet eam, et qui perdet eam, uiuificabit eam. Est igitur uxor Loth imago omnium, qui praesentis uitae suauitates et commoda, uerbo Dei et pia confessioni anteferunt. Ita Christus inquit Luc. 9. Qui